

Iustos ipsos. Sic est dilectionis ingenium cōparatum: Qui diligit venustatem, venustatis gratia diligit etiam venustos: qui diligit eruditionem, propter hanc diligit & eruditos. Sic viceversa, qui odit superbiam, odit etiam superbos: qui detestatur impietatem, detestatur simul & impios. Itaque duorum hic admonemur. Primum, ut si diligi à Deo voluerimus, studeamus iustitiæ, ut illius nomine diligamur à Deo. Alterum, ut ex genere dilectionis & odij obseruemus quales simus. Sentis in te amorem rerum iniquarum & secularium cogita te esse iniquum & secularem: contra si diligis iustitiam, & odio iniquitatem prosequeris, agnosce donum Dei, & per gratiam illius propaga illud, & auge.

3. Tertio & illud notandum est quod dicit: Rectum videt vultus eius. Non est simpliciter, *ירא*, *vident*: sed, *יחזיר*: id est, *contemplantur & observant*. Quod quisque diligit, hoc studiosè observat. Sic coligitur ex studio obseruandi & contemplandi dilectionis affectus. Rectum vident subinde & impij, sed non quærunt, non observant, non diligunt rectum. Vbiq; iustus, quicquid faciat, studiosè quod rectum est observat, & vnicè spectat.

PSALMVS XII.

AD PRÆCINENDVM SVPER OCTAVA, Psalmus Davidis.

ARGVMENTVM PSALMI.

Titulus nihil habet, quod ad argumentum Psalmi facit. Illud enim, Super octava, meo iudicio, ad instrumentum Musicum pertinet: hoc forsitan nomine sic dictum, quod octo chordas habuerit.

Quæritur autem hoc Psalmo David, & iustitiam & fidem inter mortales esse diminutam: ac vicissim fastum, hypocrisim, mendaciū, fraudulentiam, & pauperum oppressionem, fastigia rerum occupasse. Ideoq; imprecatur superbis, dolosis ac perfidis diuinam ultionem & exterminium: ac simul pios & adflictos solatur, non deserturum ipsos Dominū, sed salutem missurū, & à generatione prava conseruaturū.

Potest verò hic Psalmus in tres partes diuidi, sic, ut duo primi versus querimoniam de iustitia & fide diminuta, tertius & quartus imprecationem exterminij, reliqui ad calcem vsque consolationem & diuini auxilij pollicitationem contineant.

**S**ERV A Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminuti sunt fideles à filijs hominum. VERS. 1.

2. Vana loquuntur unusquisque ad proximum suum: labijs dolosis in corde & corde loquuntur.

3. Excindat Dominus uniuersa labia dolosa, linguã magna loquentē. 4. Qui dicunt, Linguam nostram roborabimus, labia nostra nobiscum sunt: quis nosster Dominus est?

5. Propter deuastationem adflictorum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: feram salutem, (sic) loquitur apud se.

6. Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in fornace terreo, purgatum septies.

7. Tu Domine custodias eos: serues nos à generatione hac in æternum.

8. Circumquaque impij ambulant, cum exaltantur vilissimi filiorum hominum.

Diminuti sunt fideles. ] Ebr. *בִּי פֶסַח אֲמוּנָיִם*. Græc. *ὅτι ὠνόμασθη ἡ ἀλήθεια*. Vulg. Lat. Quoniam diminuta sunt veritates. Hieron. Quoniam diminuti sunt fideles. Arabs: *Et diminuta est veritas à filijs carnis.* LECTIO.

Vana loquuntur. Ebræ. *וְאֵין יָדְבָרָא*. Græc. *μάρτυρα ἰδὲ ἀληθῆς*. Vulg. Lat. Vana loquuti sunt. Hieron. Frustrà loquuntur. Felix: *Vana loquentur.* Vers. 1.

Qui dicunt. ] Ebr. *אֲשֶׁר אָמְרוּ*. Græc. *τὸς ἠπόρησας*. Vulg. Lat. Qui dixerunt. Sic legit & Hieron. Chald. *רֵאמְרֵיךְ*: id est, dicentes. Vers. 2.

Labia nostra nobiscum sunt. ] Ebr. *שִׁפְתֵינוּ אִתָּנוּ*. Græc. *τὰ χείλη ἡμῶν ἔσονται ἡμῖν ἔσονται*: id est, *Apud nos sunt.* Vulg. Lat. *A nobis sunt.* Sic legit & Arabs. Hieron. *Nobiscum sunt.* Sic & Chald. *עִמָּנוּ*: id est, *Nobiscum.*

Feram salutem. ] Ebr. *אֲשֶׁר בִּישׁוּעָא*: id est, *Ponam in salute.* Ebraismus est, pro, ponam salutem. Græc. *ἐπιβόμωσιν ἐν σωτηρίῳ*. Vulg. Lat. *Ponā in salutari.* Sic legit & Hier. Chal. *אֲשֶׁר בִּישׁוּעָא*: id est, *Statuam redemptionē.* Vers. 3.

Loquitur aqud se. ] Ebræ. *יִפְחַלֵּי*. Græc. *παρρησιασάμενος ἐν αὐτῷ*. Vulg. Latina: *Fiducialiter agam in eo.* Hieron. pro hac particula legit, *Auxilium eorum.* Chald. *Impijs verò testificabitur malicia.* Felix: *Loquetur pro ipso.*

In fornace terreo. ] Ebr. *בְּעֵלֵיל לְאַרְצָא*. Græc. *δοκιμισομεν τῆ γῆ*. Vulgata Latina: *Probatum terra.* Hieronym. *Separatum à terra.* Chald. *בְּבִרְאָעַל אֲרֵעָא*: id est, *In fornace è terra.* Vers. 4.

Custodias eos. ] Ebr. *וְשָׁמְרוּם*. Græc. *φύλαξαι ὑμᾶς*. Vulgata Lat. *Custodiet nos.* Sic legit & Arabs. Hier. *Custodiet ea.* Chald. legit: *Conseruabis iustos.* Et Felix: *Custodiet eos.* Vers. 5.

Cum exaltantur vilissimi filiorum hominum. ] Ebr. *וְרִיבֵי אֲדָמָה לְבָגִי אֵינָם*. Græc. *κατὰ τὸ ὕψος ὁ ἰσχυρὸς ἔσται ὡς τὸ ὕψος τῶν ἀνθρώπων*. Vulg. Lat. *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Hieron. *Cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.* Chal. *Circumeuntes impij ambulant tanquam sanguifuga, que fugit sanguinem filiorum hominum.* Felix: *Cum exaltabuntur opprobria filijs Adam.* Vers. ult.